

frustratoriae, frivola, inanes et leves. « Appellationes rationabiles, seu legitima » sunt, quae fiunt justa de causa, ac servatis de jure servandis. « Frustratoriae vero appellationes » dicuntur, quae solummodo morandae solutionis; aut protrahendae litis causa interponuntur; ut l. *Tutor. ff. de Usuris*. Tandem « appellationes trivola ac leves sunt, » quae ex minimis, ac futilibus rationibus fiunt: et tales ut temerariae merito rejiciuntur; haud obstante, quod pro levioribus, ac minimis etiam causis, sive rebus, appellari possit, c. *De appellationibus. 11. h. t. juncta Glossa fin. ibid.*

18. *Supplicatio proprie dicta, quid? —* Queritur II. Quid sit supplicatio, quomodo differat ab appellatione? Resp. I. Supplicatio proprie dicta, et quantum ad propositum, est quaedam precum porrectio facta principi, ut is ex quadam benignitate restituat supplicentem adversus sententiam, contra quam non competit medium ordinarium. Ita Abbas, c. *Ex litteris. n. 6. De in integr. restitut.* Et de supplicatione taliter accepta fit mentio in l. *Si quis adversus. juncta Auth. Quae supplicatio. c. de Precib. Imperat. offerend.* estque non infrequens, praesertim in supremis tribunalibus principum, ubi locum non habet ulterior appellatio, bene tamen supplicatio pro revisione Actorum judicialium: unde et *Revisorium* originem trahit.

19. *Supplicatio large accepta, quid. Revisorium, unde traxerit originem? —* Dicitur notanter, « supplicatio proprie dicta. » Nam largo modo, ea accipitur pro quibuscunque precibus Principi, alterive superiori porrectis, siye ad justitiam, siye ad gratiam obtinendam: in quo sensu passim in curiis loquuntur libelli supplices, hanc clausulam continentis, « Supplicatur dominationi vestrae, » etc.

20. *Supplicare quilibet potest, quantumcunque remota sit appellatio. Ubi potest appellari, non debet supplicari. In dubio tamen potest intentari utrumque remedium. —* Aliae particulae in data definitione adduntur ad declarandam naturam supplicationis proprie dictae, utpote quae innititur benignitati superioris, ad porrectas sibi preces retractantis ea, quae credit male acta, ipsamque sententiam, quando ex aliqua causa contra hanc non admittitur appellatio. Supplicare enim quilibet potest, quantumcunque remota sit appellatio, l. *Si quis adversus. c. de Precibus Imperat. offerend.* ac notat Glossa c. *Ex litteris. vers. Supplicavit.* et Barbosa, in *Collectan. ib. n. 4. De in*

*integr. restit.* citans alios. Ubi autem potest appellari, non debet supplicari: quia ubi competit remedium ordinarium, cessat extraordinarium, l. *in causa cognitione etiam. § 1. ff. de Minorib.* Quod si vero quis dubitet, an adhuc possit appellare, potest ad cautelam intentare binum remedium, appellando videlicet, et supplicando; uti legitur factum in c. *Ex litteris. 4. De in integrum restitut. ibi: « Postmodum appellavit ad Sedem apostolicam, et etiam supplicavit. » Abbas cit. c. 3. litteris. n. 4. et seqq. De in integr. restit.*

21. *Supplicatio differt in pluribus ab appellatione. —* Resp. II. Supplicatio differt in pluribus ab appellatione. Ita Glossa cit. c. *Ex litteris. vers. Supplicavit.* et Abbas, ibid. n. 3. et seqq. *De in integr. restitut.* Menochius, lib. I. *de Arbitrar. judic. quast. 70. n. 21. et seqq.* Supplicationem hujusmodi vocans recursum ad principem; et alii. Idque probatur inductione.

22. *Et in quibus? —* Imprimis enim supplicatio est remedium extraordinarium, et appellatio ordinarium: ac proinde non debet interponi supplicatio, ubi adhuc potest appellatio fieri, ut proxime dictum. Deinde supplicatio potest in quacunque causa interponi, non sic appellatio: nam hac remota adhuc locum habet supplicatio, cit. l. *Si quis adversus. c. de Precib. Imperat. offerend.* Rursus differunt, quia appellatio debet fieri intra decem dies: supplicatio autem, si fiat principi, potest proponi intra biennium, l. un. c. *de Sententiis praefactorum praetorio*; si vero porrigatur judici, intra decem dies, cit. *Auth. Quae supplicatio. c. de Precib. Imperat. offerend.* Tandem differunt, quia appellatione interposita nihil est innovandum: e contra pendente supplicatione sententia mandatur executioni, praestita tamen cautione, quod si retractetur sententia, omnia restituantur, cit. *Auth. Quae supplicatio. Glossa d. c. Ex litteris. et Barbosa, ibid. n. 7. et 8. cum aliis.*

23. *Oppositio nullitatis sententiae, quid? Haec solet fieri per viam querelae. —* Queritur III. Quid sit oppositio nullitatis sententiae, et quomodo differat ab appellatione? Resp. I. « Oppositio nullitatis sententiae, » est legitima ostensio, sententiam a iudice latam, esse ipso jure nullam. Atque hujusmodi oppositio nullitatis sententiae solet fieri « per viam querelae, » juxta dicta superius tit. praeced. § 4. n. 135 et seqq. Siquidem pluribus de causis accidere potest, quod sententia ipso jure sit nulla: ut puta, ob defectum

jurisdictionis, si nimirum sententia fuit lata a iudice non competente, c. *At si clerici. 4. de Judiciis*. Item ob defectum substantialis ordinis judiciarii: puta, si non observentur solemnitates illae substantiales, de quibus supra tit. praeced. § 2. et 3. n. 37. et seqq. dictum fuit. Item, si sententia feratur a iudice delegato post terminum delegationi praefixum, vel post recusationem iudicis suspecti, aut contra reum indefensum, seu contra priorem sententiam, quae jam transivit in rem judicatam, et plurimis aliis modis. Generaliter enim « sententia contra leges canonesve prolata, licet non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso jure, » ut dicitur, cap. 1. *de Sentent. et re judicat.*

24. *Appellatio, et oppositio nullitatis sententiae, differunt varie. Atque remota appellatione; non censetur nullitas sublata. —* Resp. II. Appellatio, et oppositio nullitatis sententiae, in pluribus differunt; suntque diversa, et separata juris remedia: atque ideo appellatione remota, non censetur nullitas sublata. Ita habetur c. *Inter caeteras. 9. de Sentent. et re judicat.* ubi pontifex sic loquitur « Cum aliqua causa appellatione remota committitur, et sententia fertur iniqua, eam evacuare oportet: nec ei debet stari, si iniquitatem contineat manifestam: » puta, quia lata est contra jus scriptum, scilicet contra leges, vel canones, prout explicat Glossa ver. *Manifestam.* ibid. Concordat c. *Licet. 14. in fin. de Sentent. et re judicat.* in 6. ac notat Abbas cit. c. *Inter caeteras. n. 4. et Barbosa, ibid. n. 2. de Sentent. et re judicat.* et Andreas Gailus, lib. I. *Practic. observ. 135. n. 4. cum aliis.* Et haec est prima differentia, consistens in hoc, quod appellatione remota non censetur sublata oppositio, seu querela nullitatis sententiae.

25. *Solvuntur instantiae. —* Nec obstat, quod privilegium, quo causa sub clausula « appellatione remota » committitur, debeat accipi cum effectu, neque reddi elusorium: prout fieri videretur, si tunc locum haberet oppositio nullitatis sententiae. Neque etiam obstat, quod, « cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debeat admitti, » juxta reg. 84. jur. in 6. Resp. enim, ista neutiquam obstat. Non imprimis privilegium ejusmodi non redditur elusorium: quia diversa sunt juris remedia, appellatio, ac nullitatis oppositio; atque illo per clausulam: « appellatione remota, » sublato (qualis proinde clausula hoc

ipso sortitur quemdam effectum) non tollitur alterum remedium, scilicet oppositio nullitatis sententiae.

26. *Appellatione interposita non potest iudex exequi sententiam: secus, si solum opponatur nullitas, nisi haec foret notoria. —* Accedit, quod sententia, quae in rem transit iudicatam, statim executioni mandetur, non obstante nullitatis exceptione; ut Clem. 1. *de Sentent. et re judicat.* junctis dictis supra n. 22. Nisi nullitas illa foret evidens, ac notoria; puta, si manifestis probationibus constet, sententiam esse latam ex falsis instrumentis, l. ult. c. *de Falsis instrument.* Unde haec etiam ratione clausula illa, « appellatione remota, » sortiretur aliquem effectum: haud obstante, quod probata postmodum nullitate sententiae, executio hujus foret retractanda. Et per hoc simul habetur altera differentia inter appellationem, atque oppositionem, seu exceptionem nullitatis sententiae: nam appellatione interposita, et pendente, non potest iudex exequi sententiam, secus, si solum opponatur nullitas.

27. *Appellatio debet fieri intra decem dies: non sic oppositio nullitatis sententiae. —* Tertio differunt: quia appellatione debet fieri inter decem dies, c. *Quod ad consultationem. 15. de Sentent. et re judicat.* cum similibus. Nullitas vero potest opponi usque ad triginta annos, juxta communem, et tradit Engel, h. t. n. 7; Gailus, lib. I. *Practic. observat. 127. n. 8.* estque jam dictum, atque uberius declaratum tit. praeced. § 4. n. 107. et 114.

28. *Appellatio semper coram superiore proponenda est: secus, si opponatur nullitas sententiae. —* Quarto, differunt, quia appellatio semper coram superiore proponenda est. Nullitas vero sententiae potest opponi vel coram eodem iudice (dummodo ordinarius sit) qui sententiam tulit; vel si principaliter intentetur, etiam coram iudice superiore, adeo, ut hoc sit in arbitrio gravati, per textum, in l. *Si accusatoribus. 4. juncta Glossa ver. Eundem. c. de Accusation.*, et l. *Si praeses. c. Quomodo et quando, etc.*, juncta l. I. ff. *Quae sententiae sine appellat. rescind.* atque tradit Bartolus, l. *Si expressim. § Quae coram quo iudice. ff. de Appellation. et relation.*; Abbas, c. *In litteris, n. 6.* et Felinus, ibid. n. 4. *de Offic. delegat.*; Sigism. Scaccia, *de Appellat. quast. 19. remed. 1. concl. 6, n. 73.* citans alios; Gailus, lib. I. *Practic. observat. 127. n. 6.* hanc appellans communem opinionem.

29. *Judex ordinarius potest reformare sententiam suam de jure nullam.* — Additur tamen notanter, « vel coram eodem iudice, dummodo ordinarius sit. » Nam hic distinguendum est inter iudicem ordinarium, et delegatum: et ordinarius quidem, si a deatur a gravato, et querelante super nullitate sententiæ, potest reformare sententiam suam de jure nullam, ac rursus super illa causa pronuntiare, conformiter dictis supra tit. præced. n. 138. Sive dein nullitas intentetur principaliter: hoc est, quando ipsa deducitur separatim, et de per se, v. g. petendo sententiam pronuntiar nullam, ac reformari: sive nullitas intentetur solum incidenter, ut quia una partium petit iterum pronuntiar in causa, et sic deducit nullitatem sententiæ incidenter nam istud utrumque potest fieri per iudicem ordinarium, secundum jura n. præced. citata; et tradit Abbas, et Bartolus, ubi supra, et Scaccia, d. quæst. 19. remed. 1. concl. 6. n. 87. allegans alios. Qui tamen notanter addunt, quod si nullitas sententiæ solum incidenter deducatur, petendo nimirum iterum pronuntiar in causa, tunc isto modo non possit adiri superior: quia causa ad ipsum non devolveretur per appellationem, aut per aliud remedium æquivalens, puta per querelam nullitatis principaliter intentatam. Atque ob istud n. præced. additum fuit ly, « vel si principaliter intentetur, etiam coram iudice superiore: secus enim, si nullitas intentetur solum incidenter, ut dictum.

30. *Secus dicendum de iudice delegato; quod tamen limitatur.* — E contra iudex delegatus (quod intellige de delegato ad causam particularem) postquam semel pronuntiauit, sive bene, sive male, functus est officio suo, sicque cessat ejus auctoritas et jurisdictio; ac proinde non potest amplius reformare sententiam suam nulliter prolatam, sed oportet adire superiorem, seu delegantem; ut c. *In litteris. de Offic. delegat.* et l. *Si (ut proponis) pars. c. Quomodo et quando iudex,* etc.; Bartolus cit. l. *Si expressim.* § *Quæro, coram quo iudice.* ff. *de Appellation. et relation.*; Gailus, d. observat. 127. n. 5. et 6. et alii. Quanquam Abbas cit. c. *In litteris.* n. 4. et Felinus, ibid. n. 1. vers *Tertio fallit. de Offic. delegat.* istud intelligant, nisi sententia sit nulla ex defectu formæ mandati: non enim dicitur iudex pronuntiasse, si non servavit formam mandati, arg. l. *Quod tamen.* ff. *de Arbitris;* ubi arbiter iterum pronuntiat, si non servavit formam compromissi.

31. *Hodie ex usu fori ubique ferme solet adiri superior, sive iudex appellationis, super nullitate principaliter cognoscenda.* — Notat tamen Gailus cit. observat. 127. n. 7. Quod hodie ex usu fori ubique ferme obtinuerit, quod superior, sive iudex appellationis, super nullitate principaliter cognoscenda a deatur: præsertim, si nullitas ex malitia, vel turpitudine iudicis inferioris provenierit, et non aliunde, puta ex errore aliquo. Quinimo in tali casu iniquum foret, ut idem ipse suæ iniquitatis, aut turpitudinis cognitor existeret, et forsitan hanc malitiose occultando ulterius reum gravaret: nam cæteroque etiam gravatus, non debet remitti ad iudicem gravantem. l. *Eos qui.* c. *de Appellation.*

## § II.

## QUI, ET A QUIBUS JUDICIBUS, APPELLARE POSSINT?

32. *Regulariter quilibet potest appellare, si se injuste gravatum existimet.* Quæritur I. An omnibus sit permissum appellare, vel appellans faciat injuriam iudici a quo? Resp. I. Regulariter loquendo quilibet potest appellare tum a gravamine sibi extrajudicialiter illato, tum a sententia contra ipsum lata, si per hanc se injuste gravatum existimet. Ita communis. Ratio est, quia appellatio est species quædam defensionis, c. *Cum speciali.* 61. § *Porro.* h. t. sicque jure naturæ omnibus regulariter permissa esse debet. Additur tamen, « regulariter, » propter nonnullos casus specialiter hinc exceptos, de quibus infra § 10. et 11. per totum.

33. *Appellans non facit injuriam iudici a quo.* — Resp. II. Appellans non facit injuriam iudici, a cujus sententia appellat, utitur enim legitima defensione, sibi de jure concessa. Ita Glossa fin. l. *Illud sciendum.* l. l. ff. *de Appellat.* istud intelligens, dummodo appellans non inferat iudici convictum; aliquin enim infamia notaretur, l. *Judici.* ff. *de Injuriis.* Vallensis, h. t. § 2. n. 1. post Rebuffum, tract. *de Supplicat.* n. 49. Idque præter rationem jam allatam patet ex l. *Et in majoribus.* c. *de Appellat.* et relat. ibi: « Et in majoribus, et in minoribus negotiis appellandi facultas est: nec enim iudicem oportet injuriam sibi fieri existimare, eo quod litigator ad provocationis auxilium convolvit. »

34. *Saltem non tantam, ex qua agi possit; aut iudex a quo moveri debeat. Nemo videtur*

## § II. QUI, ET A QUIBUS JUDICIBUS, APPELLARE POSSINT?

*facere injuriam, qui utitur jure suo. Per appellationem iniquitas prioris iudicis arguitur.* — Dices. Appellatio fuit introducta principaliter, ut per eam iniquitas prioris iudicis corrigatur, l. l. § 1. *de Appellat. et relat.* ibi: « Appellandi usus iniquitatem judicantium, vel imperitiam corrigit: » ergo appellans ipso facto arguit iudicem a quo alicujus iniquitatis, vel imperitiæ; ut c. *Interposita.* 70. fin. h. t. ibi: « Cum in hoc casu » appellationis a gravamine, « iniquitas prioris iudicis principaliter arguatur. » Resp. neg. consequent. Quia, licet iudici, a quo appellatur, fiat aliqualis injuria, arg. *Litigatores.* ff. *de Receptis arbitris,* et l. ult. § fin. c. *Quando provocare non est necesse,* non tamen fit ei tanta injuria, ex qua agi potest, per jura n. 32. et 33. allegata, et notat Hostiensis in *Summa,* tit. *Ut lite pendente nihil innovetur.* n. 2. Quinimo nec iudex, a quo appellatur, ex hoc moveri debet: siquidem appellans utitur jure suo: atque nemini videtur facere injuriam qui utitur jure suo, c. *Cum Ecclesia Vulterana.* § 1. *de Election.* et amplius tradit Hostiensis in *Summa.* tit. *de Appellat.* n. 5.

35. *Excommunicatus, si injuste condemnatur, appellare potest. Imo et rescriptum apostolicum impetrare.* — Quæritur II. Utrum excommunicatus, vel utraque pars, aut etiam aliquid tertius appellare possit a iudiciali sententia? Resp. I. Excommunicatus, si injuste condemnatur, appellare potest. Textus est in c. *Cum inter.* 5. et c. *Dilecti.* 8. et c. *Significaverunt.* 11. *de Exceptionib.* cum similibus. Quinimo excommunicatus non solum potest appellare, sed etiam « super appellationis articulo » rescriptum apostolicum impetrare, cap. 1. *de Rescript.* in 6. estque uberius dictum supra lib. I. tit. III. *de Rescriptis.* § 2. n. 39. 43. et 44. Nec immerito: nam etiam excommunicatis non est deneganda omnis legitima defensio, et consequenter nec appellatio.

36. *Potest interdum utraque pars appellare ab eadem sententia.* — Resp. II. Potest interdum contingere, quod utraque pars appellet ab eadem sententia, quatenus hæc utrique parti contraria est. Ita Glossa communiter recepta in cit. c. *Significaverunt.* § *Absolvit. de Exception.* Idque patet ex c. *Si duobus.* 10. ubi Abbas, n. 2. et Barbosa in *Collectan.* n. 2. h. t.; Scaccia, quæst. 10. *de Appellat.* n. 5. cum aliis, istud intelligens, quando utraque pars potest prætere gravamen

nam absque gravamine locum non habet appellatio. Id ipsum constat ex c. *Raynaldus.* 16. et c. *Raynaldus.* 18. *de Testament.* ubi a sententia prolata utraque pars provocasse legitur. Quando enim sententia sunt plura membra, seu capitula, bene contingere potest, quod eadem utrique parti quoad aliquid videatur præjudicium generare: sicque peccatur infirmari, quatenus contra se fuerat promulgata, et quatenus sibi favebat, executioni mandari. Hinc in simili habetur c. *Auditis.* 3. *De in integr. restitut.* quod utraque pars Ecclesia, atque in eadem causa, petierit restitui in integrum, fueritque restituta.

37. *Quilibet tertius potest appellare contra sententiam, si per eam se gravatum senserit.* — Resp. III. Non solum ille, contra quem sententia lata est, sed etiam quilibet tertius, si per hujusmodi sententiam se gravatum senserit, atque exinde aliquod præjudicium sibi obventurum judicet, appellare potest. Ita communis; et patet ex can. *Non solent.* 2. q. 6. ac l. l. ff. *de Appellation. recipiend.* quo utroque in loco dicitur: « Non solent audiri appellantes, nisi hi, quorum interest, vel quibus mandatum est, vel qui negotium alienum gerunt, quod mox ratum reus habeat. » Et consequenter hi omnes, imo et singuli, « quorum interest, » possunt appellare; cum exceptio firmet regulam in oppositum, arg. l. *Quæsitum.* § *Denique Neratius.* ff. *de Fundo instructo,* cum similibus.

38. *Quod exemplificatur.* — Declaratur id amplius inductione. Sic quippe ratione affectionis, et necessitudinis, potest pater, vel etiam mater, in causa deserta filii sui appellare, cit. l. l. ff. *de Appellat. recipiend.* canonizata d. can. *Non solent.* 2. q. 6. Item potest appellare procurator in causa sui principalis, sicut et negotii alieni gestor, dummodo id dominus mandaverit, aut postea ratum habeat, per jura jam allegata. Item tutor, et curator appellat nomine pupilli, vel minoris, l. *Tutor.* ff. *de Appellat.* Item Fidejussor in causa ejus, pro quo intervenit, l. *A sententia.* ff. eod. Item potest appellare episcopus pro suo clerico, Abbas pro monacho, civitas pro cive, dominus pro subdito; ut c. *Cum super.* 17. *de Sentent. et re judicat.* et c. *Dilectis filiis.* 55. *de Appellat.* ubi tertio interesse habenti, permittitur appellare; ac notat Innocentius et Abbas cit. c. *Dilectis filiis.* in 6. per textum ibidem, Se ac suos, etc. et Gailus lib. I. *Practic.* observat. 125. n. 6. et 7. allegans alios.